

cios, crebrefcit viuere Agrippam, ^a occultis primùm sermonibus, vt vetita solent, mox vago rumore apud ^b imperitissimi cuiusque promptas aures. aut rursus apud turbidos, eoque noua cupientes. ^c Atque ipse adire municipia ^d obscuro diei, neque propalam aspici, neque diutius iisdem locis. ^e Sed quia veritas visu & mora, ^f falsa festinatione & incertis valescunt, ^g relinquebat famam, aut præueniebat. Vulgabatur interim per Italiam seruatum ^h munere deum Agrippam, ⁱ credebatur Romæ. iamque Hostiam inuectum multitudo ingens, iam in vrbe clandestini cœtus celebrabant, cum Tyberium ^k anceps cura distrahere, ^l vine militum seruum suum coerceret, an inanem credulitatem tempore ipso ^m vaneferre sineret: modò ⁿ nihil spernendum, modò non omnia metuenda, ambiguis pudoris ac metus reputabat. Postremò dat negotium Sallustio Crispo. Ille è clientibus duos (quidam milites fuisse tradunt) deligit, atque hortatur, simulata conscientia, adeant, offerant pecuniam, fidem, atque pericula polliceantur. Exeuntur vt iussum erat. Dein speculati noctem

r. Sic lib. 2. Anna.
luuat credulitatem
nox, & promptior in-
ter tenebras
adfirmatior.
2. sic lib. 1. hist.
Sceleris impetu
bona consilia
mora valescere

OBSERVATIONES.

a Vetita non statim palam, sed primùm occultis in vulgus sermonibus crebrescunt; mox vago rumore apud imperitissimi cuiusque promptas vanitati aures, aut rursus apud turbidos, eoque noua cupientes celebrantur.

b Imperitissimus quisque promptas habet aures excipiendis vagis rumoribus; modò sint, quæ dicuntur, verisimilia.

c Non vna via eaque recta, sed certè pluribus, iisque deuijs & obliquis rationibus ad principatum perueniri potest.

d Qui rem, vt est, ita sciri, cognoscique vult, non festinanter, ac trepidè, sed diu, planè, & constanter eam cuiusmodi est, spectari patiatur. siquidem veritas visu, & mora; falsa festinatione, & incertis valescunt. certè veterator vt facilius hominibus imponat, festinat; ne vt est, ita planè cognosci possit.

e Autor rerum nouarum, si nititur falso aliquo rumore, quem vulgari ipsius valde interest, falsum verò, vt est, cognosci, ipsi periculosum est, isque rumor ex sua ipsius persona pender, det operam vt, festinatione tantum relinquat sui famam, aut præueniat, ne, scilicet, initio rerum nouarum, & prius quam aliqua ausorum munimenta acceperint, sua ipse vanitate collapsus conficiatur.

f Quæ præter spem accidunt, quorumque cause ignorantur, ea si nobis probantur, munci Deum accepta plerunque referre solemus: si infesta nobis sunt, temporum calamitati assignamus.

g Mira & noua facile creduntur.

h Cum ab homine obscuro tumultus excitantur, prudentem principem anceps cura haud dubiè distrahit, vine militum insimul hominem coereat, an verò inanem vulgi credulitatem, qua fretus rerum nouarum autor tot turbas dat, ipso tempore vaneferre sinat. tali re, ac tempore vtram sententiam princeps sequi debeat, non tam facile dici potest, quam tutum illi erit id sequi, quod res ipsa ex tempore monebit, exemplo Tiberij.

i Ad principis dignitatem valde pertinet, leuissimum quemque rerum perturbatorem non statim copis, & exercitu coerecere, quasi iussum hostem; quia prius se aequalem facit, qui ideo pugnat, vt vincat, sed alijs rationibus sua, totiusque reip. securitati ita prospicere, vt illum ipsa dies, & principis consilium potius, quam vis infringat.

k Quæ falsa sunt tempore ipso vaneferunt.

l Periculum, quod ab infimo homine proficiscitur vti non spernere maximus quisque princeps, ita quoque non omnia metere debet.